



NOS
FR. BRUNO CADORÉ,
TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM
HUMILIS MAGISTER ET SERVUS

LITTERÆ CONVOCATIONIS AD CAPITULUM GENERALE

Prioribus provincialibus et conventualibus
Omnibusque singulis Fratribus, Monialibus et Sororibus
una cum omnibus membris Familiæ S. Dominici

SALUTEM ET BENEDICTIONEM

Capitulum Generale Priorum Provincialium anno MMXVI in Conventu Sancti Dominici, Bononiæ (Italia) celebratum, statuit sub n. 381: *“We declare that the next General Chapter, which will be an elective chapter, will be celebrated in the convent of Ho Chi Minh City (Saigon) Vietnam, in July – August 2019, the exact date to be fixed later.”*

Cum igitur ad nos pertineat Capitulum Generale convocare (cf. LCO 413, § II), præsentibus litteris ipsum convocare decernimus.

Itaque, auctoritate officii nostri, Capitulum Generale Electivum indicimus a die IX mensis Iulii a. D. MMXIX, in Seminario Sancti Iosephi in civitate Long Khanh, 43 Mạc Đĩnh Chi, Xuân Hoà, Long Khánh, Đồng Nai, Vietnam (*quod in regione sacræ prædicationis Conventus Sancti Martini de Porres de Biên Hòa invenitur*).

1. Omnes fratres capitulares a die VII mensis Iulii in dicta sede adsint. De hora adventus Secretarium generalem capituli moneant et litteras testimoniales ferant.

Ad maiorem claritatem circa vocales proximi Capituli generalis electivi celebrandi, referimus LCO 407:

“In capitulo generali electivo coadunantur et vocem habent:

§ I. – In electione magistri Ordinis:

1° ex-magistri Ordinis;

2° singuli priores provinciales;

3° ex quacumque provincia,¹ diffinitor capituli generalis;

4° priores vice-provinciales;

5° ex provinciis saltem centum religiosos professos habentibus, exclusis autem iis in conventibus vicariatuum assignatis, iisque directe assignatis conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis,² socius diffinitoris capituli generalis;

6° ex provinciis saltem quadringentos religiosos professos habentibus, exclusis autem iis in conventibus vicariatuum assignatis, iisque directe assignatis conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis,³ etiam socius prioris provincialis euntis ad capitulum generale;

7° ex provincia habente saltem viginti quinque usque ad centum fratres assignatos in conventibus vicariatuum assignatis vel conventibus ipsius provinciæ extra fines provinciæ, delegatus electus ex iis et ab iis, secundum statutum provinciæ; ex provincia vero habente a 101 ad 200 fratres in conventibus vicariatuum assignatos, alter eligatur delegatus; et sic deinceps;⁴

8° ex fratribus directe assignatis conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, duo delegati si cuncti fratres professi sint minus quam centum, tres vero si sint centum vel plus, selecti ad normam n. 407-bis.⁵

§ II. – In negotiis tractandis, post electionem magistri:

1° magister Ordinis nuper electus;

2° ex-magistri Ordinis;

3° omnes de quibus supra in § I, 2°–8°.”

2. Priores provinciales Secretarium generalem Capituli moneant, quattuor saltem menses ante inceptionem Capituli, de nominibus delegatorum electorum, ad normam LCO 407, 7°.

3. Die IX mensis Iulii, Capitulum incipiet cum celebratione missae de Spiritu Sancto. Suffragio lato de modo procedendi (LCO 417, § II, 1) fratres capitulares, ante initium laboris commissionum, statuunt de calendario (speciali modo de tempore sessionibus informalibus tribuendo), et de horario.

Valde desiderabile est Capitulum exitum suum attingere possit die IV Augusti, in qua festum S.P.N. Dominici anticipata poterit.

1 Iis exceptis de quibus in LCO 258 § I, scilicet: Romanæ S. Catharinæ Senensis, Neerlandiæ, S. Alberti magni Germaniæ superioris et Austriæ, Fratris Bartolomæi de las Casas in Brasilia, Annuntiationis BMV in Helvetia, S. Vincentii Ferrer in Centro-America.

2 Scilicet: Hispaniæ, Tolosana, Franciæ, S. Dominici in Italia, Poloniæ, Hiberniæ, S. Iacobi in Mexico, S. Ludovici Bertrandi de Colombia, S. Ioseph in SFAS, SS. Nominis Iesu in SFAS, S. Alberti Magni in SFAS, Reginæ Martyrum in Viet-Nam, Philippinarum, S. Ioseph Opificis in Nigeria et Ghana, et Indiæ.

3 Nulla provincia has condiciones adimplet.

4 Scilicet, tres delegati ex provincia Domini Nostræ de Rosario; et unus delegatus ex provinciis Hispaniæ, Franciæ, Poloniæ, Portugalliæ, S. Ioseph in SFAS, S. Dominici Canadensis, Assumptionis BMV Australiæ et Novæ Zelandiæ, Reginæ Martyrum in Viet-Nam, et Vice-Provinciæ S. Thomæ Aquinatis in Belgio.

5 In die convocationis, 89 fratres hoc modo assignati sunt; delegati eorum igitur sunt due.

4. Sicut iam in præcedentibus Capitulis generalibus factum est, eo præsertim fine ut expensis parcatur, socios Priorum Provincialium et Diffinitorum, quatenus vocem non gaudeant, libenter dispensamus quominus ad Capitulum accedant.

5. Secretarius generalis Capituli, ad normam LCO 414, institutus est fr. Joseph NGO SI DINH, ex provincia Reginæ Martyrum in Vietnam.

6. Fratres capitulares uti valent lingua latina, anglica (English), gallica (français) aut hispanica (español).

7. Quorum est petitiones vel quæstiones Capitulo proponere (cf. LCO 415, §§ II et III), ante diem IX mensis Ianuarii a.D. MMXIX (LCO 415, § IV, 1º) et quidem forma in LCO præscripta (LCO, 415, § IV, 2) eas ad Curiam generalitiam mittant, ita ut quam primum singulis vocalibus Capituli communicentur et Magister Ordinis opportunas commissiones pro diversa materia instituat (LCO, 415, § V, I).

8. Omnibus fratribus, monialibus, sororibus nostris et laicis commendamus ut preces pro bono exitu Capituli ad Deum fundant, nostræ liturgiæ facultatibus fruentes,

- *in missa conventuali*: missæ pro variis necessitatibus ex Proprio Ordinis (Pro Capitulo vel Concilio, Pro Conventu spiritali vel pastoralis) vel ex Missali Romano (Pro evangelizatione populorum); missæ votivæ (De Spiritu Sancto, De Sancto Patre nostro Dominico); orationes fidelium;

- *in officio divino*: intentio specialis in precibus ad Laudes et Vesperas;


- *in orationis coadunationibus*.

Valete in Domino. Peramanter benedictionem S. P. Dominici vobis impertimus, atque nos et socios nostros una cum cæteris Curiæ Generalitiæ membris vestris precibus commendamus.

Datum ROMÆ, ex Curia Generalitia, apud Sanctam Sabinam, die VII mensis novembris a. D. MMXVIII in Festo Omnium Sanctorum Ordinis nostri.


fr. Jean-Ariel BAUZA-SALINAS, O.P.
a secretis




fr. Bruno CADORÉ, O.P.
Magister Ordinis